

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 50.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

posse credas. Suffragantur etiam huic meae sententiae plures jurisconsulti. *)

§. 49.

Praesentiam protestantis necessariam esse non duco **), cum notarius aperte ex ejus mandato agat.

§. 50.

Si vero specialia ad protestationem cambialem notarialem requirenda indagare velis, ista in contentis necessariis quaeras necesse est. Nempe eandem omnia continere oportet, ad quorum probationem ista indigere possis; nimirum cambii exemplum accurate descriptum cum omnibus eidem inscriptis indossamentis, ut tum de instrumenti cambialis identitate, tum quae ejus tempore protestationis fuerit conditio, liquide constet; porro omnem protestationis causam, originem et circumstantias, id est, requisitionem protestantis, nomen ejus, contra quem protestandum est, quaestionem ad hunc circa factum ab eodem perpetrandum directam, responsum ejusdem plenam junctis rationibus, siquidem tales attulerit, omnia haec addita temporis et loci mentione; quibus omnibus denique protestatio requirentis de conservando suo circa sortem, usuras et impensas jure jungenda est ***).

F 2

§. 51.

*) PÜTTMANN, l. c. *Car. Gotcl. KNORRE in rechtl. Abhandl. und Gutachten* Abb. II. §. 1. not. 1. pag. 29. Favent huic sententiae etiam plures leges exoticae; e. g. *Middelburg*, statut. de anno 1736. art. 5. — in UHL. cont. III. pag. 101.

***) uti PÜTTMANN, §. 111.

***)) cf. e. g. de protestationis requisitis *Allg. preuss. LR. P. II.* §. 1039. sqq., BECK, l. c., et alios.



§. 51.

Confectioni plurium de eadem protestatione instrumentorum s. potius plurium exemplorum ejusdem instrumenti nihil omnino obstat. *).

§. 52.

Protestationis instrumentum absque protocollo praemisso confectum ex rationibus generalibus non quidem invalidum puto; maximam tamen utilitatem sine dubio praestat anterior protocolli confectio, cum amisso forsan ipso instrumento aliud vel etiam plura e protocollo restaurari possint. Prudentiae igitur maxime consentanea mihi videtur necessitas istius protocolli legalis, pluribus constitutionibus particularibus iussa **).

§. 53.

b). *Protestationis judicialis.*

Vix adhuc monendum est, posse deficiente notario de protestatione cambiali adiri iudicium atque eandem ad acta registratura, s. uti dicunt protocollo, consignari indeque exemplum describi ***); quanquam etiam istud a quibusdam negatum sit. Attamen nulla certe ratio sufficiens allegari potest, cur judicialis auctoritas notariali minor sit aestimanda? — Cum vero a personis judicialibus

*) cf. *Augsburg, Wechselordn.* v. 1778. cap. 5. §. 1. in UHL. cont. IV. pag. 90.

***) *Augsburg, W. O. I. c.*

***) HEINECC. elem. j. camb. cap. 4. §. 36. et ZIPFEL. ibid. cit. L'ESTOCQ I. c. cap. 4. §. 36. RICCIUS I. c. §. 34. PÜTTMANN §. 112.

